

- *
1. Fredericus Augustus, Rex Poloniae etc etc. Diploma
Constitutio Sacri palatii Aubreyae Caesareae et Im-
perialis Curistoris, quam [quod!] dominus Frider-
icus Augustus . . . facultati iuristicae in acad-
emias Lipsiensi . . . clausitus est.
2. Barkius, Göttingens: De iureamento fiduciarii
contra matrimonium non admissum.
3. Reichenberg, Dr. Fredericus: De juris praesidentia scholas.
Sic sen. præparando iuriis studiis in scholas.
4. Hiltziger, Sigism. Gottlieb: Disputatio iuristica,
qua actiones occurrentiudi competentes vel
non. 2 Graeff.
5. Hommelius, Dr. Fredericus: Nec, quod ipse non
habens alteri dare potest.
6. Gauß Königlicher, Dr. Christianus: De presentatione
literarum cambridgiensium. 25 Sept. 1712 - 1733.
7. Mendt, Heinrich Mr: De Historico III Sapiente
moralis Imperii

1712.

8. Menckenius, Gerhardus Hermannus : De iustitia
juramenti religiosi.

9^a, b, c, d
= Menckenius, Ludovicus : De vi supervenitatis territorialis,
in territorio imperii clausis, et discrimine
ab eadem iuricio feudali; inhibitus fons in iis dem
isti, cuiusque domini directi relinquendo. 45mpt

1712 - 1753

10. Menckenius, Gottfridus Ludovicus : De auctorato
ad clementia regum illegitimus praestantia non obli-
gato.

11. Mertz, Fridericus : De vita et gestis Petronii; Mar-
tyris, Sancientium patrum.

12^o-^o Olearius, Dr. Ritter : De patientia iuridica
2 Bantl. 1713 - 1784,

13. Olearius, Dr. Ritter : De bona fide non permitteatur
ut idem hinc exigitur

Fr.
do
n
re
ll.
was
Seite

C

F

M
R
T
P
S
N
V
C
D
G

18

Pri. 22. num. 26.

1712, 4^o

DISPV TATIO JVRIDICA
QV A
ACTIONES
OCCASIONE LVDI COMPETENTES
VEL NON
Die Klagen

welche in Ansehung des Spiels angestellen sind
oder nicht.

DECRETO

ILLVSTRIS JCTORVM COLLEGII

PRÆSIDE

SIGISM GOTTLIEB HILLIGER
JVR VTR DOCTORE

PLACIDÆ ERVDITORVM COLLATIONI

AD DIEM 27 SEPT

SUBMITTUNTUR


JO GVIELMO KONHARD LIPS

LIPSIAE

ANNO MDCCXII



VENERANDO
DN PARENTI SVO
HANC DISSERTATIONEM
PRO
INNVMERIS ACCEPTIS BENEFICIIS
IN
MENTIS GRATISSIMÆ ARRHAM
SACRAM JV BET
FILIVS OBSEQVENTISSIMVS
JOHANNES GVILIelmvs KONHARDVs



1700

VENERANDE DN PARENTS

GRAVITER MIHI PECCASSE AC INGRATÆ
MENTIS POSTULANDUS ESSE VIDEBAR NISI
HAS STUDIORUM PRIMITIAS NOMINI TUO SA
CRAS ESSE JUSSISSEM PRÆTERQUAM ENIM
QUOD OBLIGATIO QUÆ PATRI DEBETUR A FI
LIO ILLUD A ME POSTULABAT BENEFICIO
RUM QUOQUE TUORUM MAGNITUDO ÆQUE AC
MULTITUDO ME SEDULO ADMONUIT UT EXI
GUUM HOC ACADEMICUM SPECIMEN ANTE O
CULOS TUOS DEPONEREM UT ENIM DE CIVI
LI OBLIGATIONE QUÆ MIHI SANTA ET IN
VIOLATA ESSE DEBET IN PRÆSENTIARUM TA
CEAM QUOT ME BENEFICIIS A PRIMIS STATIM
INCUNABULIS CUMULASTI QUAS CURAS PRO
SALUTE MEA GESSISTI QUÆ DENIQUE AD SUS
TENTANDAM VITAM NECESSARIA IN ME DE
RIVASTI QUÆ SI PAULO ALTIUS AD ACCURA
TAM ANIMI LANCEM EXPENDO INGRATISSI
MI SANE NOTAM MIHI INUREREM NEFANDA
QUE MACULA ASPERGERER NISI MEAM ERGA
TE FILIALEM PIETATEM QUACUNQUE OCCA
SIONE AC RATIONE POSSEM TESTATAM FA

A 2

GE

CEREM QUAMVIS QUIDEM HOC CHARTACEUM
MUNUSTANTI NON FACIAM UT ILLUD REMU-
NERATIONIS LOCO PRO INNUMERIS BENEFI-
CIIS PONERE VELIM TAMEN EO ME GRATVM
OSTENDERE NISUS SUM OBNIXE PRECATVS
UT NON TAM DIGNITATEM MUNERIS QVAM
POTIUS VOLUNTATEM OFFERENTIS AESTIMES
ACCIBE ERGO VENERANDE PARENTS SERENO
VULTU MANIBUSQUE PROMTISSIMIS HOC
QUIDQUID EST MIHIQUE UT SEMPER SIG ET
IN POSTERUM FAVE DEUM AVTEM SUMMUM
INDEFESSIS PRECIBUS DEFATIGARE NON DE-
SINAM UT TIBI VITÆ DIVTVRNORIS INCO-
LUMITATEM CONCEDAT FELICISSIMAM IN
DIES VIRES TUAS MAGIS MAGISQUE FIRMET
CORROBORET ET ADAUGEAT OMNIGENAM
QUE TIBI PROSPERITATEM IMPERTIATUR
VALE SCRIBEBAM LIPSIÆ ID CAL SEPT XV

ANNO MDCCXII

DIS.

DISSE
DISSERTATIO IVRIDICA
EXHIBENS
ACTIONES OCCASIONE LVDI COMPE
TENTES VEL NON

PRINC.



N LUDO, quem in sensu iure
CONSULTIS consueto per
ACTUM, quo duo pluresve in-
ter se ludendo certant, & com-
muniter ea lege aliquid depo-
nunt, ut vitori cedat, describi-
mus, si sunt plerumque per-
sonæ tum PRINCIPALES, tum
etiam MINUS PRINCIPALFS. Qui principalem
constituant locum, ALEATORES tam VICTOR quam
VICTUS denominari solent; cum e contrario perso-
nae non adeo principales RECEPTORES ALEATORUM
ex una, mutuam vero pecuniam LUSORIBUS suppe-
ditantes, ex altera parte vocari queant. Hi omnes cer-
to habito respectu jus aliquod sibi competere existi-
mant. Receptor mercedem a ludentibus, ludentes vi-
ctoriae præmium, ac perdit repetitionem, mutuans
æs suum ab Aleatoribus acceptum, idque jam consum-
tum, aut in facultatibus adhuc existens postulare co-
nantur. Orientur exinde mutuæ partium petitiones,
Index imploratur, actiones, quibus jus nostrum perse-
quimur I. st. D. d. O. & A. in judiciis proponuntur. Ac-

In ludo occur-
runt personæ
Principales &
minus Princi-
pales.

6 ACTIONES OCCASIONE LUDI

cidit tamen vice plus simplici, Partes, imo & cau-
sarum Patronos hæsitare, quæ fata litibus sint e-
ventura. Non igitur inutilem conatum subituros
nos fore putavimus, si cuilibet Actori (sub quo
nomine & Fiscum & Magistratum nobis licebit com-
prehendere) intuitu lusionis agenti jura sua ex genui-
nis principiis vindicaremus, neque ea insuper habere-
mus, in quibus reo praesidium quaerendum, seu ut
clarius loquamur, quando exceptione non competen-
tis actionis defendi eum oporteat. Quemadmodum
itaque, re ipsa nunc explicata, Titulus Dissertationi
præmissus, ulteriori verborum explicatione non amplius
indiget: Ita bono cum Deo ad rem ipsam deducimur.

II

Quærunt lu-
fores locum
in primis ad
ludendum a-
ptum.
Et qui hos sus-
cipiunt vo-
cantur susce-
ptores.
Atquæ hi sunt
vel publici, vel
privati.

Prima vero Aleatorum cura in loco ad luden-
dum accommodato occupata esse solet, quam ob cau-
sam huncce vel apud semetipso, maxime tamen apud
extraneos constitendum existimant, atque iis nomen
speciale RECEPTORIS SEU SUSCEPTORIS a jure
tributum est. *vid. L. I. §. I. D. d. Aleat.* Dicti suscep-
tores (potissimum de extraneis sermo fiat) possunt
considerari, quatenus vel publica autoritate sunt consti-
tuti, & quatenus sine permissione Magistratus inter
privatos parietes lusores suscipiunt.

III

Princeps sus-
ceptores fo-
dam concedere privilegia, apud quos ludi, sive deriven-
tere potest.
Nullum est dubium, Principem posse quibus-
dam concedere privilegia, apud quos ludi, sive deriven-
tur ex arte solummodo, sive ex fortuna tantum, sive ex
utra-

COMPETENTES VEL NON

7

utraque specie simul exerceantur *a. l. i. Princ. D. d.*

Conf. Princ. maxime quando sic in hoc actu versari præcipit, ut juris naturæ præcepta exinde læsa esse non deprehendantur. Ergo ex dictis apparet, mercedem ab *aleatoribus* promissam & quidem secundum imperialis concessionis tenorem posse susceptorem actione locati *pr. f. Loc. Cond.* Si e contra nihil promissum, quantum Judex ex aequo & bono determinandum arbitratur. *a. l. i. §. 2. D. d. Jur. del.* impetrare. Porro exinde concludimus, nec Magistratum secundum ea, quæ proposita fuere, Jus habere ex dispositione. *l. f. C. d. Aleat.* Susceptoris ædificium publicandi, nec susceptorem debere arceri ab actione contra eos, qui tempore lusus furtum, rapinam & quæ sunt alia delicta, commiserunt, quorum tamen vindicatio extra Principis concessionem ipsis non competit. *l. i. §. 1. §. 3.*

D. d. Aleat.

IV

Cum vero Princeps urgentes ob causas ludos in-Princeps vero
troduci regulariter haud voluerit, susceptores inde pro hac tenus non
privatis etiam & publica autoritate destitutis reputan-
toleravit Su-
di erunt. Possemus itaque iis hac ratione primo sta-
tim intuitu omnem facile denegare actionem; atta-
men cum distinctio in ludos virtutis, fortunæ & mixtos
jam antea enarrata ad varia nos deducat memorabilia,
sicco pede ea præterire haud congruum putamus.

V

Ludos cum virtute commercium habentes, hoc Actionem me-
rito conse-
est

8 ACTIONES OCCASIONE LUDI

quuntur Su-
est, qui saliendo, pilo jaciendo, vel currendo fiunt, per-
septores Lu-
missos ex *L. 2. §. 1. D. d. Aleat.* imo μενόβολον saltum
forum virtutis
gratia. saltum singularem ποντεμούβολον fal-
tum conto suffultum πόντανὸν πέντανα χωρὶς τῆς πόρ-
πης jaculationem hastae pili vel conti sine cuspide
ab inventore Quintinianam dictam, περιχνήτην col-
luctionem ἵσταντην equorum cursum a Justiniano in-
troducedos esse constat. *L. f. C d. Aleat. FRANTZKIUS ad D.*
p. m. 322. Colligimus proinde dictorum lusorum suscep-
tores actionibus propriis debere audiri, si hi mercede
ab his conduxerint locum, in quo eo promptius Ludo
operam dare poterant. Nec hac in parte movet nos
quippiam, suspectorem in genere odiosum haberi &
non fieri in *L. 1. §. 1. D. d. Aleat.* aliquod discrimen, er-
go denegandam actionem. Respondemus enim non
videtur probabile, Imperatorem voluisse his undique
consideratis circumstantiis hoc genus Receptorum im-
probare, maxime quod ad usum honestum locatio sub-
sistat, ornare autem a lege concessum in primis pro ho-
nesto sit reputandum; Accedit, ludentibus vix ali-
quando in propriis suis caseolis superesse spatium ad lu-
dos recensitos commode exercendos applicandosque.
Num ergo plane intermittere deberemus exercitia?
non existimamus. Cui enim fontem concedimus, viam
ad illum ducentem simul à nobis concessam esse sua-
det *L. 3. §. f. D. d. S. P. R. j. a. l. 2. D. d. juris d.* Ap-
plicatio facilis.

VI

Nontamen a-
gunt suscepto-

Dicitur in *L. f. C. de aleat. nec permittimus etiam*
in

COMPETENTES VEL NON

9

in bis ludere ultra unum solidum, si multum dives sit. res, si collusores, res ipsi scientia. Quod si igitur ob maius lucrum decertare conarentur tibus ordinatis, ludo dediti, locator vero loci eos sciens receperit, & riam summam in ludo exceperit, postea ex locato, aut ex contractu innominato aliquo dunt.

experiri, actionis non competentis exceptionem obstatre crederemus, eademque fata receptoribus ludorum fortunae & mixtorum a jure civili improbatos. *Quod simili-* ter in ludis fortunae mixtum, nec non iis delicto convenientem insuper a tisque statu. Magistratu poenam facile vaticinaremur. Acerbum endum forte judicium esse quis dixerit, eum condemnare, quem reum sceleris societas non faceret. *l. 18. C. d. pan.* Regerimus ad hoc, quanquam ordinarium sum primum non sit egressus receptor, tamen actum contra legem ipso jure nullum permittens peccavit, & dum hoc sciens fecit, mandasse tacite atque in eadem culpa fuisse existimatur *a. l. 60. l. 152, §. 1. D. d.*

R. J. imo qui celat furem, eo ipso furtitetur. *l. 48.*

§. 1. D. d. Furt. Hoc certe Locatori prajudicio esse Agunt tamen non posset, si collusores primum legibus non probatum clam, sub praetextu tamen justi pretii, posuerint, dolus enim solummodo alicui non debet patrocinari, bene tamen bona fides cuique sua *c. 33. in f. X. de offic. & pot. jud. del.*

VII

Porro quemadmodum Ius Romanum lusus fortunae & mixtos haud admittit. *d. l. f. C. d. aleat.* Susceptores ludorum fortunae & mixtum verb: *Nulli liceat in publicis,* & per consequens futurum non tolerat *l. 1. §. 2. D. d. Aleat.* ita hi a ludorum non approbantur.

B

den-

10 ACTIONES OCCASIONE LUDI

& sic nec acti-
ones habent.

dentibus salaryum postulantes, procul dubio exceptione non fundatae actionis a limine judicij erunt repellendi, nec ulli dubitaremus, & hic, quod communiter ajunt, judicem hujus generis libellum sibi porrectum ex officio tanquam inceptum & legitima causa destitutum dentibus lacerare posse. *Gloss. ad cap.*

41. Caus. XI. qu. 1. vid. CARP. Z. P. t. C. 2. D. XI. n. 5.

Cautela

insuper funderemus futuro agenti, ut nequidem vel indirecete, quod promissum ipsi erat salaryum petere curet, ne fortassis, si Magistratus petitionis illius originem inquisiverit, & publicatione domus suscep- toris processerit. *I. f. C. d. Aleat. in f. verb. domibus eorum publicatis statum suum deplorare necesse habeat.*

*Limitatur a-
pud Saxones,* Jure tamen Saxonico, quod in Electoratu viget, cum lusus fortunae & mixti simpliciter non sint prohibiti, sed ita admissi, si homines, octavum decimum annum excedentes, nobilioris quidem conditionis unum Joachimicum, excellentioris gradus ex civium ordine dimidium Thaleri, inferioris autem quatuor grossos, rustici tandem unum grossum uno mense sollempmodo deperdant. *ORD. POL. d. Ann. 1661. T. 8. §.
iædæch 2. Jus Civile* (in primis, quod in Saxonia, etiamsi leges prætergressi sint, acerbitas Romanorum non obtinet, sed 10 Thaleris reus mulctandus, & inopia laborans carcere coercendus juxta ORD. POL. d. a. 1661. T. 8. §. *welcher Magnif. Dn. MENCK. D.
ad Tit. d. aleat.* olim quidem 20 Thaleris. *vid. d. Po-
lic. ORDN. d. 1612. §. Welcher nun hierwider C.
S. p. 570.) applicandum haud censemus, sed susce-*

pto-

COMPENTENTES VEL NON

xx

ptori datam formam rite observanti, ob rationes po- Etiam in ludo
sitioni quintæ insertas, actionem & exactiōnē tri- prandii gratia
buimus. Quod simili modo dicendum, si ludentes instituto.
convictus & prandii cuiusdam gratia congressuri ter-
tii locum sibi elegerint d. Ord. & ea d. anno 1612. §.
alleg. C. S. p. 570. conf. l. 4. pr. D. d. Aleat.

VIII

Quæsito nunc loco ad ludendum apto & condu- Ante ludum
ctis receptoribus convenientiū ludentes. Sæpenume inchoatum a.
ro antequam, quod notandum, adhuc alex operam liquando apud
navant, rixa oritur, hospiti bona auferuntur, atque i- suceptorem
dem injuria afficitur. Dum injuriam vindicare in- rixa oritur.
tendit, Advocatum consultit hospes. Orator causa-
rum minus circumspectus dubio procul inductus dis- ubi distin-
positione l. 1. §. 1. D. Aleat. ubi huic nullum promit- guendum a.
tutur auxilium, patrocinium, conscientiæ fortean injuriæ intu-
supra modum deditus, denegabit. At simpliciter itu lusus, an
clientem futurum velle repellere, & injuriosum, pro- extra illum
priæque utilitati haud conveniens videtur. Explor- intuitum sint
abit itaque solers causarum indagator, an injuriæ il- evomitæ,
latae principaliter sint evomitæ, ex causa forsan, qua Ex causa po-
super modo ludendi consilium cuperunt, & sic dein- steriori recte
de rixæ sint exortæ, atque honorum ablatio subsecu- agit
ta, an vero ex colloquio nullam lusus mentionem fa-
ciente, honesto tamen, recensita incommoda fuerint
exorta. Priori casu consultius acturus est, si plane
ab actione desistat, vires e contrario in posteriori
casu periclitari poterit. Neque obstabit, partes lu- B 2 dendī

12 ACTIONES OCCASIONE LUDI

Objectio.**Resolutio
Objectionis**

dendi tamen gratia congressum suscepisse, ergo conscientias malæ conversationis fuisse. Enimvero ludi nullum adhuc fuit initium factum, multa insuper impedimenta futura erant, ut plane a ludendo desisterent, odia quoque in penalibus debere restringi, æquum dijudicat *C. 15. X. d. R. 7. in 610.*

IX

Ex Lusoribus A præliminaribus Aleatores, nisi impedimentum accedat, ad ipsum ludendi Actum progrediuntur, & quanquam ambo ex iis plerumque lucrandi habeant animum juxta effatum *QVIDII lib. 3. d. arte amandi*

*Sed nimius labor est, sapienter jaclibus uti,
Majus opus mores composuisse suos.*

*Tunc sumus inculti studioque aperimus ab ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent.*

tamen vel pari prælio discedunt, vel, quod sæpius accedit, unus vincit, alter in contrarium vincitur. De viatore igitur primo loco agendum erit.

X

Victores sunt Distinguere potissimum debemus personas Clericorum & Seculari ordini addictas. In ordine anteriore Seculares.

Priores sub pena prohibentur ludere ri constitutæ sicuti prorsus a Pontifice INNOCENTIO III. sub comminatione beneficiorum Ecclesiasticorum amittendorum a ludis prohibentur, *c. pen. XV. X. d. vita & honest. Cler. Conf. c. 3. dist. 23. & c. XI. X. d. Excess. Præl. quod & obtinet Jure Saxonicum*

co

COMPETENTES VEL NON

13

co Art. Gen. 16. §. Derowegen sie sich ic. Imo si spe- nec Spectato-
ctatores tantum adinventi fuerint, suspensione trien- res admittun-
ni ab officio puniuntur Autb. Interdicimus C. d. Episc. tur.

& Cleric. ita nec victoria ipsis aliquid prodesse pot-
est, sed cum expensis a lite discedere tenebuntur. Etsi
etiam quam maxime a victo licitam alias pecuniam
quis acceperit, nec viates animum habuerit repetendi,
quod quidem Jure potuisset, tamen lucrum à Fisco
Sacerdoti extorquebitur. arg. l.9. in f. D. d. Jur. Fisci.
Neque aliud (quod tamen BRUNNEMANNUS ad. d. Idem statuen-
Autb. num. 5. censet) statuendum erit in lusibus in- dum in Ludis
genii, cum lex nullam statuat limitationem a. l.8. D. ingenii
d. Publ. in rem act. & scandalum, in persona a san-
ctitate muneris conspicua sollicite sit declinandum.
vid. Dn. MENCKE ad D. p. 163. Voc. Cleric.

XI

Laxior ex lusu petendi potestas concessa videtur Seculares me-
Secularibus. Quando etenim distinctionem lusio- liori jure lu-
num superius declaratam retinemus, nemo dubita- dunt, quam
bit, ex virtute proveniens lucrum (modo ditiones ad Clerici.
singulas commissiones, seu ad singulos congressus aut In primis si in
vices unum assem, seu numisma, seu solidum, pauperi- ludo virtutis
ores vero longe minorem pecuniam non transgre- una vice soli-
diantur, verba sunt l. i. C. de Aleat) justissime peti- dus depona-
posse l. 2. §. i. D. d. Aleat. l. f. C. d. Aleat. unde tur.
conditionem ex legibus dictis competere non inepte-
quis dixerit. In uno hoc vacillare videntur Docto-
res, quem in modum Judex pronuntiare debeat, si a

B 3

minus

judicis judici-
um in lusore
minus locu-
plete.

Quis dicatur
pauper.

minus locuplete pecunia intuitu lusus acquisita peta-
tur. Absque dubio facultates diligenter erunt ex-
plorandae, quo facto Judex merito deliberat, acto-
riique tantum tribuit, quantum ipsi justum ac æquum
futurum videtur *a. l. i. pr. in f. d. d. J. & J.* imo con-
tra pauperem (quos qui minus, quam quinquaginta
aureos habent, jura existimaverunt *l. 10. D. d. Accusat.*
& Inscript.) auxilium legis nostræ Victori competere
eam potissimum ob rationem credimus, quod lucrum
ex virtutis lusu obveniens tanquam honorarium ex
labore sit considerandum, ad quod ne alicui officium
suum eveniat damnosum *l. 61. §. 5. D. d. Fur.* & pau-
per adstringitur, in primis cum legem eos ab hoc one-
re eximentem præ se habeant nullam, & de se merito
ipsi querantur, qui rei se in miscuerunt, quam re-
ctius potuissent evitare *l. 36. D. d. R. J.* accedit, paupe-
rem non arceri ab emtione aleæ *l. 8. §. 1. D. d. Contr.*
Emt. ergo quoniam virtutis lusu Aleam quodammodo
imitatur, (semper enim incertum est, quisnam vi-
ctoriam sit reportaturus) conclusio ad pauperem evi-
dens erit.

XII

Victor jure
Romano ex
fortunæ &
mixtis ludis
nullam habet
actionem.
Aliter jure
moderno,

Quanquam vero Jure Romano ex ludis, qui a
fortuna, aut arte & fortuna simul dependent, victori
nullam actionem debeamus promittere *a. l. 2. §. 1.*
D. d. Aleat. l. f. C. eod. istum tamen rigorem jure mo-
derno quodammodo moderatum invenimus. Con-
sulentiibus RECESSVS IMPERII d. anno 1570. Fuß-
fnechts:

Fnechts-Bestallung, pos. 211. verba sunt evidentissima: Es soll auch keiner den andern auff dem Spiel außschlagen, noch weiter, denn er haar Geld hat spielen; wo aber einer dem andern viel oder wenig auff Borg abgewinnet, soll ihm der andre nichts darum zu zahlen schuldig seyn, ex quo colligimus, victori equidem nullum jus agendi competere, si non illico a victo numeratam pecuniam exegerit, sed ei potius habuerit fidem, huic tamen nec item esse movendam de lucro extorquendo, quod semel ipse exolutum erat, una intelligimus, neque existimamus, victo ob insolitam pecuniae summam perditam ad illam repetendam actionem esse indulgendum. Certus enim & determinatus modus hic non est prescriptus, dicitur potius, in quantum quis numerato secum habet; præterea veritas ex contrario sensu patebit. Sic enim concludimus. Si solum mihi non est permisum ludi præmium petere, quando collusori fidem habeo de pretio, sive hoc sit alius momenti, vel non, sequitur, si fidem non habeo, sed pecunia mihi statim traditur, istam meam fieri.

XIII

Respicientes ad Jus Saxonum antiquum, illud Jure Ro- Antiq. indi-
mano dicendum, quandoquidem ibi sine distinctione stincte Victori
Victori actio denegatur. Dum enim hæres, qui ta- actionem de-
men in omne jus defuncti successit, l. 59. & 62. D. d. negat.
R. f. solutionem præstare non adstringitur per Landr.

L. I.

16 ACTIONES OCCASIONE LUDI

L. i. art. 6. ibidem: Wer das Erbe nimmt, der soll zu Recht die Schuld gelten, als ferne als das Erbe weret an der fahrenden Habe. Dieberey noch Raub, noch Spiel-Geld ist er nicht pflichtig zu gelten, imo judex prohibetur de ejusmodi pecunia indicare juxta Weichb. art. 101. beklaget jemand den andern um Geld, der soll benennen vor dem Richter, warum man ihm das schuldig sey; wann es ist um Spiel, da darf er ihm nicht um antworten, noch der Richter auch nicht richten, merito igitur, & Actorem a limine judicij esse depellendum, affirmamus. Nihilominus non obstantibus verbis ultimis ex officio in commemorata delicta recte judex inquireat ob interesse publicum. l. g. §. 5. D. d. Publ. & Vect.

Ex officio tam
men judex re-
cte inquirit.
rit ob interesse publicum. l. g. §. 5. D. d. Publ. & Vect.
Dn. MENCK ad D. p. 162.

XIV

Rigor anti- Recensitum rigorem erga Victores limitatum in-
quo deroga- venimus in sanctionibus Electoris Saxonie. Haec e-
tum postea est per JusSax. El. nim cum virtute conjunctas lusiones indistincte, si me-
ri lucri gratia non instituuntur, admittunt, ORD. POL.
d.a. 1661. Tit. 8. §. n:n stellen wir zwar nullo quidem
pretio, quo usque scilicet Lusoribus licet deponere,
definito. Posset ergo quis sibi facilius persuadere,
quatenus nimirum aliquis rerum suarum arbiter habeatur l. 21. C. Mandat. eatenus licitum quoque esse ludis
concedere, per consequens victori contra reum in quo-
vis casu judicium dandum esse; At vero cum Juris Ci-
vilis dispositio apud Saxones in subsidium tamdiu, do-
nec

COMPETENTES VEL NON

17

nec contrarium sit edictum, locum inveniat a. P. 2.
 C. 10. pr. Weiln in Sächsischen Rechten ic. merito
 & hoc jure elargimur Victori potestatem in commate
 XI expositam.

XV

Quemadmodum vero ex olla fortunæ **dem** Ex olla fortunæ
 Glück's Topff, aut simili ludo in honesto nullam vo- næ nulla actio
 luit exactionem victori concedere Serenissimus Legis- permittitur.
 lator juxta Polizey-Ordn. d. a. 1661. Tit. 8. §. f. Ord.
 Pol. d. 1612. §. 12. p. 570. Corp. Sax. ex ratione, quæ se-
 quitur. Dieweil auch durch das Topff-Spiel oder
 den Glück's Topff manchem das Geld aus dem Beut-
 tel gelockt worden, soll dergleichen in unsren
 Landen keinem dergleichen zu halten nachgelassen,
 vielweniger ander Gauckel-Spiel verstattet wer-
 den, quippe & Magistratus permittens 100. Thaleris
 punitur; ita e contra Victor non est prohibitus ex ludis Bene tamen
 artis, fortunae aut mixtis, (e. gr. lusu latrunculorum ex ludis artis,
 ausm Schacht-Spiele) commodum petere, modo fortunæ &
 nulla fraus, nec verba injuriosa, aut persona nondum mixtis.
 attingens decimum & octavum annum intercedat. d.
 ORD. POL. §. allein §. iedoch vid. Com. VII. Post hæc re-
 quisita victor haud existimet sibi jus competere, quan- A&iot;o tamen
 tum libuerit lucrari. Præscriptum enim habemus faltim datur
 quam saluberrime in d. Ord. d. §. quem in modum quis ad summam a
 in ludo & quovis mense aliquid amittere possit. Ca-legibus præ-
 talogum rei sicuti supra §. VII. retulimus, ita nunc ipsa
 Legislatoris verba apponere juvabit: iedoch, daß ei- scriptam.

C

ner

18 ACTIONES OCCASIONE LVDI

ner von Adel über einen Thaler, ein vornehmer Mann, so bürgerlichen Standes ist, über zwölf grl. und ein Handwerks-Mann über 4 grl. ein Bauer aber über einen grl. auf einmahl nicht verspiele, solches auch in einem Monath über einmahl nicht geschehe; cuilibet potius rei familiaris curam incumbere existimantis.

XVI

*Quid juris, si
major summa, imprudentiam Advocati major, quam legibus recensi-
quam legibus
permissa summa petatur a victo, an audiendum esse
permissa pera-
tur.*

Casus tamen facile posset emergere; ut forte per doctrinam JURIS CONSULTORUM in materia mandati eo venire, actionem habere mandatarium quoad summam concurrentem, si scilicet fines mandati excederit §. 8. J. de Mandato STRYCK. Not. ad Laut. p. 288. quod in donationibus, ultra quingentos solidos existentibus judicialiter non insinuatis, quæ quoad excessum corraunt, obtinere quoque certum est l. 34. pr. & §. 1. C. de Donat. verum cum hoc loco leges Principis insuper habitæ sint, & dicti agentes pro delinquentibus & prætergredientibus legem reputandi, quibus privilegia non permittenda Nov. 17. c. 5. recensitam doctrinam vix locum hic invenire censemus, argumenta ducentes ab eo, qui usurariam pravitatem semel commisit, & deinde ex ea in judicio egit, etiamsi postea ordinarias & lege concessas usuras desideret, non tamen audi-

COMPETENTES VEL NON

19

auditur, sed poena competenti afficitur. Conf. *Mand.*
E. von Wucherlichen Contractet d. 1609. 1614. & 1625.
Corp. Sax. p. 499. seqq. Ex quibus deinde inferre licebit, etiam si vix ab initio statim a victo, a quo tamen majus in ludo lucrum extorserat, a lege indulsum commodum petierit, tamen a victo incompetentis actionis exceptionem posse opponi, si scilicet reus probaverit, privatos inter parietes victorem prætergressum esse modum imperiale præscriptum. Est enim omnis lufus contra Principis Mandatum perniciens, qui impunitus esse non debet l. 50. §. f. *D. d. Furtis.*

XVII

Num vero & hunc juris rigorem extensum Neque pupilli, dicamus contra pupilos minoresque, si scilicet a nec Minores majorenibus, mediante ludo, prohibitam pecuniae a lege impro summam lucrati sint? Etiam si enim multa pro hisce batam sum personis in jure singularia introducta sciamus contra mangetunt, juris rationem l. 14. 15. & 16. *D. d. Legibus. Conf. l. 42. inf.* *D. d. Administr. & per Tut.* posthac pro iis militare videatur, quod conditionem suam meliorem facere possint, *pr. Inst. d. Aut. Tut.* & ista conditio in praesenti existat bona; At vero quando in contrarium perpendicularis, ludum pro re nata non esse modum dominii acquirendi comprobatum *BRUNN FM. ad l. 3. C. d. Aleat.* maxime quod minores & pupilli ex inhonesto lucro locupletiores fieri nequeant, debent enim & hic cum Tutoribus suis bonam fidem agnosceret l. 9. §. 6. *D. d. Admin. & per Tut.* Ergo concludimus, personas

C 2

memor-

memoratas actiones suas juxta jus constitutum commune formare teneri.

XVIII

Victi jura.

*Qui vel habet
liberam admi-
nistrationem,
vel non.*

Jura Pupilli.

Huc usque jura victori competentia sunt exposita, poscit ordo, ut nunc quoque aliquid de victo profaramus: Habet ille vel liberam rerum suarum administrationem, vel non habet. Ad ultimum referimus pupillum, minorem, filium familias *L. 4. §. 1. D. b;* nec non cæteros propter mentis imbecillitatem curatoribus indigentes. Pupillus quidem dum vincitur, conditionem siam deteriorem facit *pr. f. d. Aut. Tut.* & nullius rei alienatio ipsi soli concessa. *§. f. f. Quib. al. licet vel non.* Ergo pupillum teneri dicemus, si tutor accedat? Quod haud afferendum. Præter enim quod moribus pupillorum tutores optime prospicere teneantur, & ab ejusmodi exercitio prohibere, ne tristis exitus eos, post dispersum patrimonium, expectet. *I. f. §. 5. C. d. Bon. que lib.* hoc quoque exigitur, ne spoliare pupillum, aut res ipsius perdere sinant. *L. 7. §. 3. D. pro Emt. j. l. 22. D. d. Adminisfr. Tut.* Idem jus in minore statuendum, opus tamen, si juxta modum legibus permissum ludo quid deperditum fuit, restitutione in integrum habet, cum in actu valido versatus fuerit. Neque obstat nobis dicterium: in delictis non subveniri solere minoribus *L. 9. §. 2. D. d. Min.* hoc loco autem adesse delictum. Distinguimus enim adjutorio *l. 37. §. 1. D. d. in.* an delicta sint atrociora an non? Nemo autem facile ludos tales ad priora referet. Insuper plane hic cessare delictum vide-

mus,

COMPETENTES VEL NON

21

mus, quoniam minor nihil ultra legis permisum suscepit. Jure Saxonico tamen, cum ad certum modum adolescenti decimum nonum annum attingenti ludere sit concessum, ORD. POL. d. 1661. Tit. 8. §. All. Remedium minoribus indulsum recte cessabit. Viatum furiosum aut alia mentis eclipsi laborantem nihil valide posse perdere, vel ex primis iurium principiis constat, cum non intelligent, quid agant. §. 8. J. de Inut. Stip.

XIX

Quod ad homines attinet, qui plenam rerum suarum administrationem habent, illi aut modum a Legibus statutum observaverunt, aut non observaverunt. De eo, qui liberam rerum habet administrationem.

Priori modo si e. gr. in ludo virtutis in uno congresu unum solidum quis perdideit, aut jure Saxonico ordinatum, prout supra memoravimus, modum in Iudicis fortunae & mixtis non transgressus sit (Civili enim jure hi non erant permissi, quando in primis in pecuniam ludebatur l. 2. §. 1 D. de Aleat.) nullum est is summardubium, quin victori agenti ex voto cadant sententiæ, sicut cum Efenisi tamen & hoc in casu fraus intervenerit, aut quis factu amittit, alterum nimis ad ludendum solicitaverit, a. l. 1. §. f.

l. 2. D. d. aleator. SCHOEPFF. in Syn. D. p. 219. ea- Nisi machina- tenus enim GLOSSA GERM. ad L. Lib. I art. 6. re- tio callida inter- teryenerit,

Et dicit: Nun sollt du wissen eine sonderliche Regel von Hand-Spielern und von ihrem Rechte, das wiss, ein Spieler ist viel böser denn ein Räuber, wenn als er mit einem spielt, könnte er es ihm ab-

C 3

wün

wünschen, er thät es viel lieber, denn daß er es ihm abgewinnen solte, vide etiam D. AMBROSIUM loquentem apud PEREZIUM ad Tit. C. de Aleat. n. 3. At posteriori modo i. e. si ultra permissum legis lusum erat, repetitionem & conditionem amissi largimur.

XX

Amissio, a jure autem non approbatæ rei repetitio conceditur,

Atque istam repetitionem J. potissimum Civilis introductam videmus L. f. C. d. Aleat. ubi duobus modis succurrere voluit Imperator vieto ejusque hæreditibus, tum per actionem, tum etiam per exceptionem. Priori modo, si jam pendente ludo, aut post ludum, aliquid solutum esset, conditionem soluti non solum adversus ipsos aleatores, sed & eorum hæredes concessit, sicuti quoque in liberis obtinet, si pater omnes facultates ludendo amiserit, repetitio datur in totum, quamquam Dn. STRYCK. ad Lauterbach. p. 159. eam solummodo usque ad legitimam concedat, imo d. l. f. C. admisit conditionem indebiti, quia ex falsa causa & juribus non probata solvit l. 26. §. 2. D. de Cond. Indeb. Posteriori exceptionem non fundatae vel concessæ a jure actionis D. L. f. ibi. nulla sequatur condemnatio, permisit.

XXI

Objec&io, an repetitio sit in honesta, refellitur,

Forte vero quis dixerit, minus tamen honestam existimari repetitionem, cum veluti pactum tacitum de non repetendo intercessisse videatur. Nos quidem non latet, quod in l. 144 pr. D. d. R. J. circumfertur,

10012

COMPETENTES VEL NON.

23

non omne, quod licet, honestum esse. At quando in contrarium ultro citroque reputamus, alterum ex titulo non lictio acquirere, eamque acquisitionem fieri cum alterius insigni damno, s̄ a numero per hoc rei familiarī aliquid detrahi, malitiam insuper non raro alterius, quod non ferendum *L. 38. D. d. R. V.* per ejusmodi conniventiam augeri, & neminem alteri jure permittente facere injuriam. *L. 13. §. 1. D. d. injur.* facile contrariam amplectemur sententiam. Quid autem prodesse demum putemus Vixto non exactam pecuniam, cum tamen a plane non ludentibus exigi queat! Habet enim pater negligentis filii & moventis actionem procul dubio ob patriam potestatem & usum fructum in bonis ejus competentem actionem & exactiōnem *L. f. C. d. Aleat.* adeo ut, & hoc cessante, exigendi Jus per Episcoporum & Präsidum loci auxilium defensori civitatis competit, Fisco tandem, si hic segnis forte reperiatur, in exactione succedente *d. L. f. C. de Aleat.*

XXII

Neque blandiantur sibi victores, fore, ut post ordinario repetitioni
dinarium actionibus præstitutum tempus tringinta modo non
nempe annorum *L. 3. C. d. Pres. 30. l. 40. ann.* liberos prescribitur.
ab omni exactione se existiment, quandoquidem dicta actio dubio ob exosos lusionum cultores
non prius extincta dicenda sit, quam post quinquaginta annos completos. *d. l. f.* imo ad nonagesimum fe- Sed 50. anni
re annum durare potest, si in fine ultimi anni præscri- requiruntur,
bendae actionis victus experitur contra victorem, aliquando ad 90. annos ex-
hoc tenditur præscriptio.

24 ACTIONES OCCASIONE LUDI

hoc deinde litem contestante & cessantibus partibus
in continuando processu ad octo adhuc lustra d. actio
perpetuaretur. *L. f. C. d. pref. 30. l. 40. annor.*

XXIII

Ratione præ-
scriptionis &
repetitionis
Saxones Jus
Civile ample-
cuntur.

Sancita juris Civilis, tum quoad repetitionem, tum
vero præscriptionem, apud Saxones adhuc hodie ob-
tinere, ex eo liquet, quod apud hos in hoc juris do-
ctrina specialius jus introductum haud profet. Uni-
ca fere est in lusu fortunae & mixtis exceptio. Sicuti
enim jus Civile repetitionem intuitu horum Iudo-
rum indistincte admittit: Ita victus vicissim, Vi-
ctore juxta legis præscriptum agente, plane ab oppo-
nenda non competentis actionis exceptione repellit
folet.

XXIV

Num repeti-
tio ex confue-
tudine in Sa-
xonia cesse?

An Saxones in
Subsidium Ju-
re Civili obli-
gentur?

At vero hodie potissimum apud Saxones vi con-
suetudinis restitutionem perdi cesserat, ac per conse-
quens nec opus esse præscriptione, censem, remque ex
l. 8. D. de Condict. ob turp. caus. & l. 5. D. de donat.
illustrare conantur. CAR PZ. L. 6. Ref. 96. n. 16. seqq.
Nostrum hic est inquirere, an res sese ita habeat. Præ-
judicium, an sc. Saxones in subsidium Jure Civili obli-
gentur? ante omnia est removendum. Hoc sicuti af-
firmare necesse habemus, tum quod non in paucis
Saxonici juris partibus expresse provocetur ad Jus com-
mune vid. O. P. S. Tit. 6. §. *Dieweil, und solcher*
Effectus & in summo Provocationum consilio, si de-
ficiat Juris Saxonici dispositio, saepius respiciatur, tum
quod

quod Serenissimus ad explicationem Juris Romani in ordinationibus Universitatum nostrarum Professores ablegaverit, quod extra dubium haud fecisset, nisi peregrina jura patriæ utilia aliquando futura censuissent; ita eo promptius remoto obstaculo consuetudinem talēm Saxoniam negare & jure possumus. Conf. quae habet BRUNNEM. Cent. 4. Dec. 8. Scimus sc. Jus Civile repetitionem concessisse imo & remissionem omnibus modis prohibuisse d. l. f. C. d. Aleat. Secedamus nunc ad tempus a Jure Civili & in nudo Jure Saxonico hæreamus. Allegato Jure certa amittendi forma in ludendo est præscripta, ursit hoc Serenissimum Legislatorem, ne quis sui patrimonii adeo magnam jaucturam pateretur, succurrere ergo voluit victo, per consequens repetitionem, si non expresse, tacite tamen concedere, victorem ultra legis mentem ludentem quasi punire, ne majus fortean lucrum sperret. Cum igitur hæc jura diversis temporibus, potissimum d. ann. 1555. d. anno 1612. & 1661. sint repetita, imo variis postea mandatis emissis ad hoc sit provocatum, de quo nuper d. ann. 1711. d. 6. Octobr. in Praefectura & Curia Lipsiensi jussu regio affixum mandatum (verba not. solches aber nicht allein in der Lands- und Polizey-Ordnung höchst verbothen) suppeditare potest: præterea Jure Saxonico consuetudo per spatium 31. annorum, 6. septimanarum 3. dierum denique præscribitur CARPZ. P. 2. C. 3. d. 21. quod tempus, si aliquando (de quo tamen dubitamus) sine interruptione processerit, certe tamen per leges postea

D

latas

26 ACTIONES OCCASIONE LUDI

latas tota sublata fuit *L. 2. C. quæ sit longa consuetudo.* Argumenta, quod ista consuetudo ob irrationalitatem concurrentibus circumstantiis eandem moraliter malam reddentibus allegari nequeat *d. Nov. 134. c. 1.* consulto omittimus. *Conf. Dispt. 8. c. 3. 4. § 6.* Alias præ hac consuetudine in Responso quodam ad nostram instantiam dato verba facit Dn. D. J. H. S.

XXV

*Disputatio
Schœppferi de
hodierna ludorum
justitia in quibus-
dam capitibus
nostræ Dispt.
contrariis re-
censetur.*

Francofurti ad Viadrum habita est 1690' sub præsidio Juris-Consultiss. Dn. SCHOEPFFERI dissertatio Juridica de hodierna ludorum justitia, in qua imprimis pro destruendis iis, quæ jam dicta fuere, laboratur. *Ipsos Principes ut § Auguſtas tam chartulæ luforiis,
quam taxillis ludere ſolere, præmiumque retinere, ſi mi-
nus, victori illud concedere, afferitur.* Princeps ludit & hoc facit, quoniam nullam legem sibi præscriptam habet, subditi autem hoc in ſui commodum allegare nequeunt, Princeps enim actum alias indifferentem prohibere potest tanquam Princeps, qui deinde post prohibitionem ratione subditorum pro turpi habetur, ratione vero Principis honestus videtur. Et quamvis bene sit Reipublicæ consultum, ſi ſe alligatum Legibus Princeps profitetur, alligatus tamen dicitur propria ſua voluntate; non necessitate, ergo a ſua voluntate recte iterum recedit *Conf. L. 22. D. d. Leg. 3.* Neque obſtat, *Principem ſubditis ſuis concedere quoque præmium ex lufu;* nam & hoc recte facit, quoniam leges ſuas mutat, inde tamen non statim inferendum: *Prin-*

COMPETENTES VEL NON.

27

Princeps pro hoc vel illo tempore in uno ac altero individuo remittit aliquid de rigore legum suarum, ergo semper & in universum leges sunt abrogatae. *Vid.*

C. 16. quest. 1. Can. 39.

XXVI

Opponitur porro, *Principes novos ludos fortune Continuantur & mixtos chartulis precipue lusoriis excogitare solere; oppositiones Verum hoc facientes, sui oblectamenti gratia fusci-* Schoepfferiae-
piunt, exinde tamen non statim concludendum, super- nze, & ad eas
riores subditis suis immoderatum ludum permittere,
nam tacite hoc volunt, ut subdi quidem ludis utan-
tur, interim moderamen ordinationum Politicarum
diligenter observandum ab iis esse, simul innuunt.
Eodem modo responderi potest, quando instant: in
omnibus tamen cauponis & domibus, in quibus vinum
venditur, bodie reperi tabulas lusorias, cui quandoque
solere jungi chartarum fasciculum, audientibus & viden-
tibus Magistratibus horumque ministris. Pollunt enim
in cauponis recte sustineri Ludorum hæc genera ad
*modum Legibus praescriptum, cum intotum constitutionibus Principum non sint prohibita, si autem Magis-
|tratus excessum animadverteret, nec poenam dictaret,
|hujus desidiae potius adscribendum, cum non viden-
 dum, quid Romæ fiat, sed quid fieri debuisset *L. 12. D. d.*
|Off. Pres.
|Nec ad rem facit, *in nundinis venum quotidie*
exponi tabulas aleatorum & chartulas lusorias. Hoc
 nempe similiter fit, non ut instrumentis hisce cives ab-
 utantur. Et quanquam ulterius urgeatur, tolerari op-
 fices, qui non nisi chartulas lusorias conficiunt, & hoc no-*

D 2

mine

28 ACTIONES OCCASIONE LUDI

mine tributum solvunt, debent enim, cum simpliciter Ludi non sint prohibiti, esse, qui instrumenta talia conficiant. Nec est, quod queramur, concedi *privilegia*, ut *quidam soli chartulas pingant & conficiant*, quod juste posse concedi putamus, cum ita rectius præcaveatur multitudini chartularum. Quando denique dicitur, *Fiscalem fere nunquam actionem movisse contra victorem*, tunc respondemus, aut *victus ipse repetiit, quæ sua fuerunt*, aut *Fiscus in casu, quo ipsi jus super est, aliquando nobis ignorantibus exegit*. Præterea ludi ejusmodi sè penumero inter privatos cancellos suscipiuntur, ut plane ad Fisci notitiam non perveniat. Crederemus interim, si *Protocolla judiciaria* nobis investigare licet, futurum esse sine dubio aliquid, quod ad nostram sententiam stabilendam pertineret.

XXVII

*Jure naturali
repetitio de-
neganda.*

Limitatio.

Rectius jure connato actionum ad repetendam pecuniam ex lusu concessam esse negamus. Sicuti enim dicto jure nemo rebus meis leges praescribere potest, ita hactenus illas vel huic vel illi rei impendere possim, & sicuti juxta rectæ rationis dictamen non prohibeo donare, ita nec deneganda est translatio rei meæ in alterum ex eventu incerto, ut hic fit, cum lusus aliqua ex parte imitetur contractum conditionalem, neque prohibeo petere summam ab altero fortuna adjuvante per lusum in me delatum. Interim tamen, si quis ita immoderate & quasi cum neglectu familiæ suæ ludo insisteret, adeo, ut denique pauper evaderet, ei spiclet sibi *zum armen Mamme*, ita quidem, ut ne quidem haberet,

COMPETENTES VEL NON A 29

ret, unde se suosque aleret, merito ad repertendam pecuniam, ad suorum alimenta, obligaretur. Non videatur enim a Natura habuisse liberum arbitrium abdicandi se a re illa, quae ad Tertium conservandum pertinebat, cum quilibet sobolem suam & familiam, cuius secundum Deum autor est, facultatibus acquisitis tueri tenetur.

XXVIII

Sæpenumero autem desistere a ludo necesse esset ludentibus, nisi forent aliqui, qui hos, porrigo pecuniam, diutius in eo detinerent. Horum jura brevibus quoque exponere præsens materia postulat. Aut vendunt ludentes aliquid, aut mutuum suscipiunt.

XXIX

Priori modo caute agere emtoribus conyenit. Quod si enim venditorem ludentem videant minus felices progressus in ludo facere, itaque ludo intentum esse, ut, quicquid demum siet, perditurus sit, merito a contractu emtionis venditionis abstinebunt. Si enim pretium ludenti pro merce dederint absque traditione mercis, ipsi non poterunt postea ad traditionem agere, quoniam venditori luxorioſo aliquid elargiti sunt. *I. 8. infin. D. pro Emt.* & sibi imputent, quod melius non vigilarint, *I. 203. D. d. R. J.* Multo cautius ejusmodi emtores acturi sunt, si cum ludentibus, qui parum aut nihil adhuc amiserunt, dictum negotium contrahunt. Etiam si enim scio fore, ut pecunia consumi queat, nihilominus bona fidei emtor sum, nihilque mihi imputemtoris jura ementis a ludentibus.

D 3

ver-

30 ACTIONES OCCASIONE LVDI &c.

tari potest *L. 8. D. pro Emto.* Interim tamen hoc emtori infortunium accidit, ne postea re evicta regredi adversus venditorem queat, exceptione potius tam in anteriori casu, si scilicet traditio subsecuta, quam in praesenti submovebitur, quando in ludo contractus est celebratus *L. 2. §. 1. D. Quar. rer. actio non datur.*

XXX

Jura pecuni-
am mutuan-
tis ludenti,
cum Distin-
tione.

Quid igitur sentiendum de eo, qui, dum luditur, mutuam ludenti dat pecuniam? Considerari omnino debet, an expressa fuerit causa mutui ad ludum, an vero non. Prioris generis foeneratori deneganda videtur, similis enim est ei, qui quasi perdituro pecuniam sciens credidit. *L. 12. §. 11. D. Mandat.* Econtra in secundo casu considerati creditores audiendi erunt, cum ipsis imputari nequeat, quo inquirant, in quam rem mutuatarii pecuniam versuri sint, *a. L. 8. D. pro Em.* Quod si tamen priori casu debitor postea intervallo quodam promiserit, vel præceptum judicis de solvendo sponte repererit, tunc etiam tenetur ad solutionem, & Creditor quasi jure postliminii actionem nanciscitur, quia sublata censetur prima causa turpitudinis *a. L. 2. C. de bis que vi Et.* Ergo nunc finem dissertationi imponimus, cum omnia, quæ in principio promisimus, jam reapse, quantum nobis constat, adimpta sint.

F I N I S

CON-

CONSPECTUS IN TABULA

I. Personæ Principales eæque sunt	Victor (9) qui si est	Clericus non agit (10) ne quidem ex ludo ingenii. (eod.)	Jur. Civ. si una vice solitus fuerit positus (11) quid juris in paupere (eod.) non tamen ex ludo fortuna & mixtis (12) Jur. Rec. retinet quod lucratius est ex alterius numerata pecunia (eod.)
Agentes occa- sione ludi, p. r. h. sunt,		Secularis agit & quidem	Jur. S. Ant. ubi non quidem cessabat officium iudicis ipse tamen nihil petebat (13) J. S. El. in ludo virtutis obtinet jus Civile (14) in ludi cæteris ad thalatum &c. usque agit (15) ubi simul inquiritur quid juris, si major legib⁹ permissa summa peratur (16) aut si pupillio, minor &c. majorem summam luccrati sicut. (17)
I. libera- ram re- rum ad- ministra- tionem ubi si	Victor (18) qui habet	modum a legib⁹ præscriptum obser- vabit, nullam habet exceptio- nem (19) nisi dolose induct⁹ (eod.)	Modum non observavit, repetitio- nem & conditionem amissi ha- bet (20) nec in justo (21) & huic re- petitioni post 50 annos præscribi- tur (22) etiam certo modo jure Sa- xonico (23) qua occasione simul, an vi consuetudinis hodie repetitio cesset, disquisitur (24) & disputatio SCHOPPEFERI 1690 habita modestus refutatur (25 & 26) tan- demque de jure naturali repetitio- nem non obtinere demonstra- tur. (27)
I. minus Principales pag. seq.	I. non habet pag. seq.		

CONSPECTUS IN TABULA

Agentes occasione ludi sunt.	Personæ. 1. Victor principales, eaque qui habet	1. Viñus	1. liberam rerum administrationem v. pag. præc.
			Non habet, qui sunt pupilli minores, Filii familiæ, qui certa ratione in integrum restituuntur. (18)
		Susceptor, (2) quem princeps recte fovet, (3) at cum hi regulariter sint exosi, (4) distingui debet	Jure Civ. an lusores virtutis gratia receperit, tunc actionem nanciscitur (5) Debet tamen modum juris observare, alias receptor nihil, sicuti nec aliquid ex ludis fortunis & mixtis petit (6 & 7)
			Jure Saxonico certa ratione in omnibus tribus ludorum generibus susceptores actionem instituant (7) & Sic
1. minus Principales, eaque sunt	1. minus Principales, eaque sunt	Ementes ali- quid tempore lulus (28) ubi	Utroque jure hospes injuriam tempore ludi permitti sibi illatam vindicat (8) alias non.
			Si traditio non statim subsecuta, non potest postea ad tradendum agere (29) Sivero subsecuta, nulla evictio locum habet (d §. 29)
		Mutuo dantes pe- cuniā, ubi distin- guitur, an	Expressæ pecunia ad ludum sit data & nihil repetunt. (30) Non expressæ, repetunt, (30)



Leipzig, Diss., 1712 A-0

X 2417849



P. 228. 18

Pr. 22. num. 26.

1712, 4^b

DISPV TATIO JVRIDICA
QV A

A C T I O N E S

OCCASIONE LVDI COMPETENTES VEL NON

Die Klagen welche in Ansehung des Spiels angustellen sind oder nicht.

DECRETO

ILLVSTRIS JCTORVM COLLEGII

P R E S I D E

SIGISM GOTTLIEB HILLIGER
JVR VTR DOCTORE

PLACIDÆ ERVDITORVM COLLATIONI

AD DIEM 27 SEPT

SUBMITTUNTUR

JO GVILIELMO KONHARD LIPS

L I P S I A E

ANNO MDCCXII

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE